

PONTIFICIA COMMISSIONE
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XIII - N. 2

1981

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1981

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio

Ad Sodales, Consultores et Officiales Pont. Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo	255
--	-----

ACTA COMMISSIONIS

I. Sessionis Plenariae Celebratio	259
II. Opera Consultorum in recognoscendis Schematibus canonum	
1. Schema « De Populo Dei »	271
2. Schema « De Institutis vitae consecratae per professionem consiliorum evangelicorum »	325
3. Schema « De Sacramentis »	408

DOCUMENTA

I. A Cardinali Praeside describitur et examinatur votum a Patribus unanimiter datum in Plenaria nostrae Commissionis	444
II. Cursus renovationis canonicae pro Iudicibus in Universitate Gregoriana inauguracione	447
III. In XI Colloquio Iuris Europaei Messanae habito. Rev.mus Aemilius Eid, nostrae Commissionis Consultor, et S. Sedis Observator, orationem habuit « De problematibus iuridicis circa paria »	450
IV. Card. P. Felici Centenarium Annum ab ortu Ioannis XXIII commemorat	460
V. Summus Pontifex commemorat bismillesimum annum ab obitu Vergilii Hexametri in honorem Ioannis Pauli II a Card. P. Felici oblati	463
VI. Summus Pontifex participes XI Cursus renovationis canonicae pro Iudicibus alloquitur	466

NOTITIAE	467
--------------------	-----

§ 1, visis animadversionibus, supprimitur.

§ 2, consideratis nonnullis animadversionibus factis, Consultores censent adiungenda esse post *iusta de causa verba et de licentia expressa Ordinarii loci* utpote necessaria, quia Ordinarius intervenire debet in re quae aliquod habet momentum ecclesiologicum. Post *alicuius Ecclesiae dicatur aut Communitatis ecclesialis plenam communionem cum Ecclesia Catholica non habentium, remoto scandalo.*

Conventus dd. 9-12 octobris 1978

CAPUT II

DE SS.MA EUCHARISTIA ASSERVANDA ET VENERANDA

Can. 99 (CIC 1265)

§ 1. *Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et pro posse sacerdos saltem bis in mense Missam in sacro loco celebret:*

1) asservari debet in ecclesia cathedrali aut eidem aequiparata, in qualibet ecclesia paroeciali necnon in ecclesia domui Instituti vitae consecratae sive virorum sive mulierum adnexa;

2) asservari potest, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis et in oratoriis;

3) asservari potest in sacello Episcopi, etiam titularis tantum; non autem habitualiter in ceteris sacellis, nisi ex indulto apostolico.

§ 2. *Nemini licet Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre.*

Relator canonem legit et animadversiones quae in synthesi redactae sunt ab aliquo Consultore.

Ad primam animadversionem generalem indicandi fines asservationis Ss.mae Eucharistiae quod attinet, omnes Consultores concordant ut necessarium non sit aliquid addere etsi hodie forsitan imminuta est veneratio erga Ss.mam Eucharistiam, de cetero ample de re tractatur in Encyclica *Mysterium fidei*, n. 49 et in Rituali Romano, n. 5, ubi praeceps dicitur finis primarius et originarius illius asservationis esse:
a) viatici administratio, b) communio, c) adoratio.

Nihil insuper dicatur de Ss.mae Eucharistiae asservatione sub sola specie panis et libertas detur Eam servandi, maxime ratione viatici, etiam sub specie vini.

Omnibus placet ut servetur *bis in mense*, excepto uno Consultore, cui placeret ut dicatur *semel*.

Ad n. 1) dicatur *ecclesia vel oratorio*, quia saepe oratoria Religiosorum non omnibus patent.

Animadversionibus consideratis, Consultores illas non accipiunt, exceptis duobus Consultoribus, quia domus Instituti pro Institutis saecularibus est tantum domus centralis ideoque servari potest textus, demptis solummodo verbis *sive virorum sive mulierum*.

Ad nn. 2) et 3) animadversionibus inspectis, omnes censem numeros inter se uniendo esse cum sequenti textu: *Asservari potest in sacello Episcopi et, de licentia Ordinarii loci, in aliis ecclesiis, oratoriis et sacellis.*

Ad § 2: Proponentibus Relatore, Secretario et uno Consultore, textui adiunguntur verba *nisi necessitate pastorali urgente et servatis loci Ordinarii praescriptis.*

Can. 100 (qui erit 101) (CIC 1266)

Omnes ecclesiae in quibus Sanctissima Eucharistia asservatur, per aliquot saltem horas cotidie fidelibus pateant, ut coram Sanctissimo Sacramento orationi vacare valeant.

Invertitur ordo can. 100 et can. 101, quia can. 101 est continuatio can. 99.

Unus Consultor proponit ut canon deleatur cum res ab Episcopo moderanda sit. Dissentient tres Consultores (ratione securitatis et exigentiae fidelium), quorum unus petit ut adiungantur verba *ubi fieri potest.*

Relator tenet periculosem esse canonem supprimere ex comparatione quae fiet inter veterem et novum Codicem. Unus Consultor proponit ut praeceptum relinquatur, adiungendo tamen clausulam *quatenus prudentia id permitiat vel nisi rationes securitatis obstent.*

In fine disceptationis omnibus placet — uno Consultore excepto — ut textus servetur uti est, additis verbis *nisi gravis obstet ratio.*

Can. 101 (CIC 1267) (qui erit 100)

In domo Instituti vitae consecratae aliave pia domo, Sanctissima Eucharistia asservetur tantummodo in ecclesia aut in oratorio principali domui adnexo; potest tamen iusta de causa Ordinarius permettere ut alio etiam in oratorio eiusdem domus asservetur.

Placet textus prout iacet.

Can. 102 (CIC 1268)

§ 1. *Sanctissima Eucharistia habitualiter in uno tantum ecclesiae vel oratorii tabernaculo asservetur.*

§ 2. *Locus ecclesiae vel oratorii in qua Sanctissima Eucharistia asservetur, sit vere praecellens, decore ornatus atque ad orationem aptus.*

§ 3. *Tabernaculum in quo Sanctissima Eucharistia asservatur situm sit aut in aliquo altari aut extra altare in aliqua ecclesiae vel oratorii parte insigni et conspicua.*

§ 4. *Tabernaculum in quo Sanctissima Eucharistia asservatur sit inamovibile et solide clausum, ita ut quam maxime periculum profanationis vitetur.*

§ 5. *Qui ecclesiae vel oratorii curam habet, prospiciat ut clavis tabernaculi, in quo Sanctissima Eucharistia asservatur, diligentissime custodiatur.*

Ad § 1: Nulla facta est animadversio et probatur uti est.

Ad § 2: Omnes Consultores, post disceptationem, conveniunt quod melius est hanc paragraphum supprimere, et servetur tantum *ad orationem aptus*, quod in § 3 transfertur.

Ad § 3 (quae fit § 2): Probatur, demptis verbis *aut in aliquo altari aut extra altare*, additis vero *decore ornata*, *ad orationem apta*, post verbum *conspicua*.

Ad § 4 (quae fit § 3): Sequens probatur textus: *Tabernaculum in quo habitualiter Sanctissima Eucharistia asservatur sit inamovibile, materia solida non transparenti confectum et ita clausum ut quam maxime periculum profanationis vitetur.*

Ad § 5 (quae fit § 4): Probatur uti est.

Can. 103 (CIC 1269, §§ 3 et 4)

Gravi de causa, licet Sanctissimam Eucharistiam, nocturno praesertim tempore, alio in loco tutoire et decoro asservare.

Placet et probatur uti iacet, sed fit § 4 can. 102.

Unus Consultor dissentit ab hac transpositione. Ergo § 4 (iam § 5) can. 103 rediit § 5.

Can. 104 (CIC 1270) (qui fit can. 103)

Habeantur semper in tabernaculo, et quidem in apte clausa pyxide ex solida decoraque materia, hostiae consecratae numero christifidelium necessitatibus congruo.

Aliquis Consultor tenet hunc non esse locum huius canonis; dum duo Consultores proponunt ut supprimatur, sed, suffragatione peracta, propositio maiorem partem suffragiorum non attingit ideoque textus servatur.

Unus Consultor proponit ut textus sumatur ex Instructione de Ss.ma Eucharistia, d. 22 iunii 1973, Sacrae Congregationis de Cultu Divino: *Hostiae consecratae quantitate fidelium necessitatibus congrua frequenter, veteribus rite consumptis,renoventur et in pyxide seu vasculo serventur.*

Hoc modo providetur etiam eis quae in can. 106 habentur ideoque ille canon cadit.

Can. 105 (CIC 1271) (qui fit can. 104)

Coram tabernaculo in quo Sanctissima Eucharistia asservatur, pecularis perenniter ardeat lampas, qua indicetur Christi praesentia.

Placet, mutato ardeat cum luceat et addito et honoretur post indicetur.

Can. 106 (CIC 1272)

Hostiae consecratae recentes sint et frequenterrenoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis.

Cadit rationibus superius allatis.

Can. 107 (CIC 1274) (qui fit 105)

§ 1. In ecclesiis aut oratoriis quibus datum est asservare Sanctissimam Eucharistiam, fieri possunt breves expositiones sive cum pyxide sive cum ostensorio, servatis legum liturgicarum praescriptis; curet loci Ordinarius ut huiusmodi expositiones Sanctissimi Sacramenti debita cum reverentia fiant.

§ 2. In iisdem ecclesiis et oratoriis quotannis fieri potest sollemnitas Sanctissimi Sacramenti expositio per congruum tempus, etsi non continuum, protracta, ut communitas localis Eucharisticum mysterium im-

pensius meditetur et adoret; huiusmodi tamen expositio fiat tantum si congruus praevideatur fidelium concursus, de consensu Ordinarii loci et servatis normis statutis.

§ 3. Minister expositionis Sanctissimi Sacramenti et benedictionis Eucharisticae est sacerdos vel diaconus; in extraordinariis adiunctis, solius expositionis et repositionis Sanctissimi Sacramenti, sine tamen benedictione, est acolythus, servatis loci Ordinarii praescriptis.

§ 4. Celebration Missae durante, ne habeatur in eadem ecclesiae vel oratorii aula Sanctissimi Sacramenti expositio.

Ad § 1: Consideratis animadversionibus, probatur textus sequenti modo: In ecclesiis ... servatis normis in libris ritualibus praescriptis.

Commissionis Secretarius proposuerat suppressionem huius § cum materia directa sit a libris liturgicis, sed aliis Consultoribus videtur melius ut paragraphus servetur. Supprimuntur adiectivum *breves* et verba *curent ... fiant.*

Ad § 2: Placet, quibusdam inductis emendationibus:

- a) dicitur *commendatur ut loco fieri potest* et initio § ponitur;
- b) supprimuntur verba *de consensu Ordinarii loci* ne incongruentia detur inter commendationem et requisitum consensum.

Ad § 3: Textus emendatur iuxta ea quae habentur in documento superius indicato S. Congregationis de Cultu Divino in n. 91 a et 91 b de SS. Eucharistiae ministro, et est: Minister ... in peculiaribus adiunctis ... benedictione, est acolythus, minister extraordinarius sacrae communionis alias ab Ordinario loci deputatus, servatis eiusdem Ordinarii loci praescriptis.

Ad § 4: Potest remanere uti est.

Can. 108 (CIC 1290-1295) (qui fit 106)

§ 1. Ubi, de iudicio loci Ordinarii, fieri possit, convenit ut, in publicum erga Sanctissimam Eucharistiam venerationis testimonium sollemnis habeatur, praesertim in festo Corporis Christi, processio, etiam per vias publicas procedens.

§ 2. In festo Corporis Christi, processio habeatur unica in civitatibus, variis earundem paroeciis communis, eaque procedens ab ecclesia digniore, nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo aut aliud suadeant locorum adiuncta.

§ 3. Loci Ordinarii est non tantum de processionum opportunitate iudicare, sed etiam de iisdem statuere ordinationes, quibus earum dignitati prospiciatur.

Ad § 1: Textus probatur, aliquibus inductis emendationibus, supprimendo *convenit ut, solemnis et etiam,* mutato *festo cum solemnitate* necnon *addito et Sanguinis post Corporis.*

Ad § 2: Visa animadversione alicuius Conferentiae Episcopalis supprimuntur.

Ad § 3 (quae fit 2): Placet cum hoc textu: *Loci Ordinarii est de processione statuere ordinationes, quibus earum participationi et dignitati prospiciatur.*

Unus Consultor tenet Episcopum non posse religiosos, ut partem habeant in processione, obligare.

CAPUT III DE OBLATA AD MISSAE CELEBRATIONEM STIPE

Can. 109 (CIC 824, § 1) (qui fit 107)

§ 1. Secundum probatum Ecclesiae morem, sacerdoti cuilibet Missam celebranti et applicanti necnon concelebranti et applicanti licet stipem a fidelibus oblatam recipere.

§ 2. Enixe commendatur sacerdotibus ut etiam nulla recepta stipe, Missam ad intentionem christifidelium praecipue egenitum celebrent.

Rite considerantur animadversiones prolatae. Unus Consultor proponit ut prius ponatur can. 110, ubi affirmatur fideles stipem offerre posse ut ad suam intentionem Missa applicetur, et postea de ipsa stipe cum can. 109.

Contradicit Secretarius Commissionis, iuxta cuius sententiam inversione proposita inutilis can. 109 evaderet, nam in isto canone praecise affirmatur principium quod non est simonia stipem offerre pro Missae celebratione ideoque sacerdos eam accipere potest.

Disputatur circa verbum *applicare* quod tamen, in fine disceptationis, ab omnibus probatur, uno Consultore abstinente.

Cadit propositio unius Consultori adiungendi *firmo praescripto can. 111.*

Textus, qui proponitur, sumitur ex M. P. *De Missarum stipendio*, 13 iunii 1974 (cf. *Communicationes* 1974, p. 117), et, disceptatione peracta, est: *Secundum ... celebranti aut concelebranti licet stipem a fidelibus oblatam recipere ut iuxta certam intentionem eam applicet.*

Insuper quinque contra tres supprimuntur *a fidelibus*. Textus omnibus placet, uno Consultore excepto § 2 placet uti est.

Can. 110 (novus) (qui fit 108)

§ 1. *Christifideles stipem ad Missae celebrationem offerentes, etiam cum rogent ut ad suam intentionem Missa applicetur, ad bonum conferunt Ecclesiae, cuius quidem curam in cultu ordinando, in officiis adimplendis operibusque sustentandis, ita etiam participant.*

§ 2. *Auctoritati ecclesiasticae, praesertim Episcopo dioecesano, cuius est curare ut necessitatibus Ecclesiae sustentationique clericorum suae dioecesis provideatur, competit ordinationibus suis definire rationes, offerentium quidem voluntati congruas, quibus oblatae stipes in bonum Ecclesiae adhibenda sint, determinando fines ad quos cedi debent, statuendove ut sacerdos, cui stips offertur, ex integro aut ex parte eandem retineat, salvis praescriptis can. 111.*

Ad § 1: Ad hanc paragraphum quod attinet, sequentes animadversiones praeSENTatae sunt a uno Consultore.

Hoc in canone duae melius distinguendae sunt res:

a) fideles, qui stipem offerunt ut Missa ad eorum intentionem celebretur non sunt eiusdem Missae exclusivi beneficiarii, sed totius Ecclesiae bono spirituali conferunt vel contribuunt;

b) stipis oblatione Ecclesiae necessitatibus temporalibus subveniunt.

Quapropter idem Consultor sequentes proponit emendationes:

a) in linea 3 adiungatur ... *ad bonum spirituale conferunt totius quoque Ecclesiae; b) loco propositionis relativae cuius quidem ..., quae explicitare videtur bonum Ecclesiae, mittatur coordinata atque; c) in lineis 3-4, loco in cultu ordinando ... operibusque sustentandis, posset dici, iuxta animadversionem cuiusdam Episcoporum Conferentiae, modo a Relatore proposito, in sacerdotibus honeste sustentandis operibusque ordinandis; d) occasio accipi potest indicandi, iuxta ea quae aliqua Facultas Theologica animadverterit, stipem esse eleemosynam ideoque loco ita etiam participant, dicatur ea eleemosyna participant.* Et textus, qui

ab eodem Consultore proponitur, hisce duabus formulis praesentatur: I. « § 1. Christifideles stipem ad Missae celebrationem offerentes, etiam cum rogent ut ad suam intentionem Missa applicetur, ab bonum *spirituale* conferunt *totius quoque Ecclesiae, atque eius curam in sacerdotibus honeste sustentandis operibusque adiuvandis ea eleemosyna participant* ».

Aut et forsitan melius: II. Secunda tantum idea retineatur: *Stipendum, uti contributo-eleemosina propter Ecclesiae necessitates et simpliciter dicatur: « § 1. Christifideles, stipem ad Missae celebrationem offerentes, ad bonum conferunt Ecclesiae, cuius curam in sacerdotibus honeste sustentandis operibusque adiuvandis ea eleemosyna participant ».*

Alter Consultor, sua ex parte, sequentem paravit huius § redactionem: *Christifideles qui Ss.mo Missae Sacrificio participant eo ipso conferunt, seipso cum Christo, in Eo et per Ipsum offerentes, ad spirituale bonum Ecclesiae; cum vero aliquis eorum rogat, stipem dans, ut Sacrificium Eucharisticum iuxta illius intentionem celebretur, tunc speciali modo etiam curam habet Ecclesiae sive in cultu sustentando, sive in honesta sacerdotum sustentatione procuranda, sive in operibus apostolatus et caritatis, praesertim erga egenos, exercendis, quin tamen hac speciali intentione et participatione restringatur sensus universalis Sacrificii Eucharistici, quod semper in bonum totius Ecclesiae cedit.*

Iuxta declarationes Consultor proponentis, hic textus, excerptus ex M. P. *Firma Traditione* (1974), conatur duos fines attingere: 1) sublineare naturam universalem Missae cuiuslibet, ita ut non appareat intentio particularis quasi quoddam monopolium habere Missae quae offeruntur; 2) ostendere significationem oblationis stipis. Incommodum redactionis, praeter eius longitudinem, in eo est ut ipsa supponat doctrinam de distinctione sic dictorum fructuum Missae. In textu recepto secunda idea satis apparet, non ita prima, cuius consideratio introductory fuit ab uno Consultore. Secretarius Commissionis et unus Consultor textum ab altero Consultore propositum putant nimis theologicum et parum iuridicum. Post varias sententiarum expositiones omnes conveniunt ut textus sit: *Christifideles stipem offerentes ut ad suam intentionem Missa applicetur, ad bonum conferunt Ecclesiae, atque eius curam in ministris operibusque sustentandis ea oblatione participant.*

Disceptatione habita de loco huius canonis, convenitur ut nihil immutetur, uti iam superius innatum fuit.

Ad § 2: Omnes conveniunt, habita etiam ratione eorum quae in animadversionibus inveniuntur, de suppressione paragraphi.

Can. 111 (CIC 824, § 2) (qui fit 109)

§ 1. Sacerdos plures in die celebrans, pro una tantum Missa stipem recipere eamque suam facere potest, excepta pro aliis Missis aliqua retributione ex titulo extrinseco.

§ 2. Sacerdos plures eodem die Missas celebrans, singulas applicare potest ad intentionem pro qua stipes oblatam est, ea tamen lege ut stipem pro altera et tertia Missa oblatam non retineat, sed eandem concredat in bonum Ecclesiae, iuxta Ordinarii loci praescripta.

Perspectis animadversionibus sive generalibus sive particularibus ad hunc canonem propositis necnon illis a Consultoribus prolatis: nempe a) supprimendi *recipere* eam, quia sacerdos potest quidem eam recipere sed non pro se retinere; b) item supprimendi § 1 et tantum servandi § 2, quae iam primam § continet; c) delendi verba *sed eandem concredat in bonum Ecclesiae*, textus qui tandem aliquando ab omnibus, uno Consultore excepto probatur, ex unione duarum §§, sic sonat: *Sacerdos plures eadem die Missas celebrans, singulas applicare potest ad intentionem pro qua stipes oblatam est, ea tamen lege ut, praeterquam in die Nativitatis Domini, stipem pro una tantum Missa faciat suam, ceteras vero in fines ab Ordinario praescriptos concredat, admissa quidem aliqua retributione ex titulo extrinseco.*

Altera adiungitur §, iuxta animadversionem factam ab aliquo Cardinali: *Sacerdos alteram Missam eadem die concelebrans, nullo titulo pro ea stipem recipere potest. Placet omnibus.*

Can. 112 (CIC 827) (qui fit 110)

A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercatura omnino arceatur.

Placet.

Can. 113 (CIC 825) (qui fit 111)

Numquam sacerdoti licet:

1) *Missam celebrare et applicare ad intentionem illius qui eam petiturus est, sed nondum petiit, et stipem postea oblatam pro Missa ita iam applicata retinere;*

2) *stipem recipere pro applicatione Missae quae alio titulo canonico debetur et applicatur;*

3) *duplicem stipem pro eiusdem Missae applicatione recipere.*

Secretario Commissionis canon videtur applicatio esse principii generalis et servatus esse ratione fontium ex quibus provenit, ideoque supprimi posse tamquam inutilis. Interpretatio casuistica moralistis reliquenda est. Huic sententiae accedunt duo alii Consultores. Relator tenet, saltem § 1, alicuius esse utilitatis ideoque servari posse. Questio suffragio submittitur, cuius exitus est: placet suppressio totius canonis, exceptis duobus Consultoribus.

Can. 114 (CIC 828) (qui fit can. 111)

§ 1. Distinctae applicandae sunt Missae ad intentiones pro quibus singulis stips, licet exigua, oblata et acceptata est.

§ 2. Licet autem unam eandemque celebrare et applicare Missam ad intentionem plurium, qui ad communem pro eiusdem Missae celebratione et applicatione stipem oblatam ad libitum contulerint.

Ad § 1: Unus Consultor proponit ut dicatur: *Tot ... quot, loco distinctae.* Relator insistit et textus servatur prout iacet et probatur uti est.

Ad § 2: Animadversionibus consideratis, Secretarius Commissionis notum facit duas pervenisse litteras circa abusos sic dictae Missae comunitariae, qui hoc in textu aliquod inveniunt adiutorium ideoque proponit ut deleatur. Etiam alii Consultores putant hanc § necessariam non esse. Dum unus Consultor tenet aliquid dicendum ne abusus adhuc permaneant.

Exitus suffragii est quattuor contra tres; ergo supprimitur.

Can. 115 (CIC 829) (qui fit can. 112)

Qui onere gravatur Missam celebrandi et applicandi ad intentionem eorum qui stipem obtulerint, eadem obligatione tenetur, etiamsi sine eius culpa, stipes perceptae perierint.

Commissionis Secretario canon necessarius non videtur, dum Relator et duo Consultores tenent servandum esse. Facta disceptatione, canon servatur, quadam tamen emendatione inducta: *Qui obligatione gravatur Missam celebrandi ... etiamsi sine ipsius culpa ...*

Can. 116 (CIC 830) (qui fit can. 113)

Si quis pecuniae summam obtulerit pro Missarum applicatione, non indicans Missarum celebrandarum numerum, hic suppeditetur attenta stipe statuta in loco in quo oblator morabatur, nisi aliam fuisse eiusdem intentionem legitime praesumi debeat.

Disceptatione peracta et animadversionibus consideratis, textus probatur aliquibus inductis emendationibus: *Si pecuniae summa offertur pro ... non indicato Missarum ... numero, hic ... oblator commoratur, nisi aliam fuisse eius intentionem ...*

Can. 117 (CIC 831) (qui fit can. 114)

§ 1. *Episcopi dioecesani est pro sua dioecesi per decretum definire quaenam pro celebratione et applicatione Missae sit offerenda stipis, itemque quid ratione tituli extrinseci sit debitum, nec licet sacerdoti summam maiorem expetere; curet autem idem Episcopus ut quantum fieri possit eadem definiantur secundum rationem ab Episcoporum Conferentia compositam.*

§ 2. *Ubi desit Episcopi dioecesani decretum, servetur consuetudo in dioecesi vigens.*

§ 3. *Sodales Institutorum vitae consecratae, licet exempti, stare debent decreto Episcopi dioecesani aut consuetudini loci, de quibus in §§ 1 et 2.*

Ad § 1: Commissionis Secretarius sublineat animadversionem S. Congregationis pro Clero ut omittantur verba itemque quid ratione tituli extrinseci sit debitum.

Placet omnibus ut haec verba supprimantur.

Relator, contra quod a duobus Consultoribus alicuius S. Dicasterii et ab alio Organo consultationis animadvertisit, tenet heic mentionem Episcopi dioecesani esse servandam cum de lege ferenda agatur quae unice ferri potest ab Episcopo et non a Vicario Generali, ideoque sumi non potest dictio *Ordinarii loci est*.

Duobus Consultoribus non placet altera pars §: *curet ... compositam, quae, iuxta eorum sententiam, omitti potest, omnibus aliis consentientibus. Commissionis Secretarius proponit ut dicatur collatis consiliis cum Episcopis Regionis vel Districtus Regionalis post Episcopi dioecesani est, quod placet aliis.*

Probantur prouti iacent §§ 2 et 3.

Can. 118 (CIC 832) (qui fit can. 115)

Sacerdoti fas est sponte oblatam stipem definita maiorem pro Missae applicatione accipere, et etiam minorem.

Secretarius Commissionis et Relator proponunt ut, prout habetur in can. 832 CIC, addatur *et nisi loci Ordinarius prohibuerit vel nisi aliter ab Episcopo dioecesano statutum fuerit*, sed omnibus rite persensis, placet magis ut textus remaneat prout iacet, verba tantummodo transposita *stipem sponte oblatam*.

Can. 119 (CIC 834)

§ 1. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praestitutum est, eo omnino tempore celebrandae sunt.

§ 2. Missae pro quibus celebrandis nullum determinatum tempus ab oblatore praestitutum est, si pro causa urgenti petuntur, quamprimum tempore utili celebrandae sunt; secus intra congruum tempus.

Canon alicui Consultori necessarius non videtur, etsi aliqua utilitate non careat. Pro Secretario Commissionis canon textum nimis minutissimum praesefert et rem continent claram. Facta disceptatione, maior pars Consultorum, duobus exceptis, et uno abstinente, concordat ut canon supprimatur.

Can. 120 (CIC 835) (qui fit can. 116)

Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum accipere, quibus intra annum satisfacere non potest.

Multum disputatur de hoc canone deque convenientia eius conservationis necnon de eiusdem formulatione, sed tandem aliquando textus probatur uti sonat, omnibus consentientibus, uno Consultore excepto.

Can. 121 (CIC 836) (qui fit can. 117)

Si certis in ecclesiis aut oratoriis, peculiari christifidelium devotione ornatis, Missae petuntur celebrandae numero plures quam ut ibidem celebrari valeant, eadem alibi celebrari possunt, nisi contrariam voluntatem oblatores expresse manifestaverint.

Probatur uti est, demptis verbis peculiari Christifidelium devotione ornatis sicut innuerat aliqua Episcoporum Conferentia.

Can. 122 (CIC 838) (qui fit can. 118)

Qui curare debet ut Missae celebrentur quarum celebrationem aliis concredere potest, eas celebrandas committere valet sacerdotibus sibi acceptis, dummodo constet eos esse omni exceptione maiores aut testimonio proprii Ordinarii commendatos.

Admittitur animadversio alicuius Organi consultationis et duorum Consultorum cuiusdam Dicasterii, necnon propositio Secretarii Commissionis de non necessitate Ordinarii testimonii. Textus qui probatur sic sonat: *Qui Missas celebrandas habet, quarum ... eas committere possit sacerdotibus ... maiores.*

Can. 123 (CIC 837) (qui fit can. 119)

Qui Missas celebrandas aliis committere intendat, eas quamprimum aliis transmittat, firmo praescripto can. 126; tempus autem intra quod, ad normam can. 119, celebranda sunt, initium habet a die quo sacerdos easdem celebraturus recepit, nisi aliud constet.

Placet textus, suppressis verbis *firmo praescripto can. 126 et ad normam can. 119*, qui ultimus suppressus est.

Can. 124 (CIC 839) (qui fit can. 120)

Qui Missas, quas celebrandas accepit aut quarum celebratio quoquo modo suae fidei commissa est, aliis celebrandas commiserit, obligatione tenetur earum celebrationem curandi usque dum acceptae ab eis obligationis et receptae stipis testimonium receperit.

Secretarius Commissionis proponit eius suppressionem, quia res clara est in suis principiis. Contradicit unus Consultor, quia regulae dantur et inserviunt praecise iis qui capaces non sunt eas ex principiis deducere. Suffragio peracto, maiori parti Consultorum (quattuor), contra tres, placet ut canon servetur. Ergo remanet textus.

Can. 125 (CIC 840) (qui fit can. 121)

Qui Missas quas celebrandas, oblata stipe, accepit aliis commiserit, integre eisdem stipem pro earum celebratione receptam transmittere debet, nisi certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum esse intuitu personae.

Disceptatione peracta, omnibus — uno Consultore dissentiente — placet ut remaneat prouti est.

Can. 126 (CIC 841) (qui fit can. 122)

Omnis et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo obligati ad Missarum celebrationem curandam, sive clerici sive laici, onera Missarum quibus intra annum non fuerit satisfactum suis Ordinariis tradant, secundum modum ab his definiendum.

Integer textus retinetur, etiam contra quorundam animadversionem et probatur uti est ab omnibus. Unus Consultor proponit ut canon transferatur post can 120, tamen, contradicentibus Relatore et alio Consultore, propositio non admittitur.

Can. 127 (CIC 842) (qui fit can. 123)

Officium et ius advigilandi ut Missarum onera adimpleantur, in ecclesiis saecularium pertinet ad loci Ordinarium, in ecclesiis Institutorum vitae consecratae ad eorum Moderatores.

Placet omnibus uti est.

Can. 128 (CIC 843) (qui fit can. 124)

§ 1. Rector ecclesiae aliusve pii loci sive saecularis Instituti vitae consecratae, in quibus stipes Missarum recipi solent, peculiarem habeat librum in quo accurate adnotet Missarum celebrandarum numerum, intentionem, stipem oblatam, necnon celebrationem peractam.

§ 2. Ordinarius obligatione tenetur singulis annis huiusmodi libros per se aut per alios recognoscendi.

Ad § 1: Placet omnibus ut servetur — uno Consultore excepto — et probatur prout iacet, demptis verbis *sive saecularis sive Instituti vitae consecratae*.

Ad § 2: Placet ut remaneat saltem uti stimulus pro Ordinario.

Can. 129 (CIC 844) (qui fit can. 125)

§ 1. Loci Ordinarius et Instituti vitae consecratae Moderator qui propriis subditis aliisve Missas celebrandas committant, quas celebrandas acceperunt Missas, notatis etiam stipibus receptis, sine mora in librum per ordinem referant currentque pro viribus ut quamprimum celebrentur.

§ 2. Quilibet sacerdos, sive saecularis sive Instituti vitae consecratae sodalis, accurate notare debet quas celebrandas acceperit Missas, quibusque satisfecerit.

Placet totus canon et probatur uti est, demptis, in § 2, verbis « *sive Instituti vitae consecratae* ».

* * *

*Ad can. 72: quod attinet unus Consultor proponit ut terminus *latria* servetur, sed, contradicentibus Secretario Commissionis, quia textus iam probatus est, et uno Consultore utpote non necessarius, suffragio peracto, omnibus, duobus tantum Consultoribus exceptis, placet ut textus remaneat prouti probatus fuit.*

* * *

Sic explicit expensio animadversionum in consultatione prolatarum circa schema de disciplina canonica Sacramentorum eiusque textus recognitio.

DE INDULGENTIIS *

Quaedam propositiones missae sunt a quibusdam Consultoribus nostrae Commissionis, quarum textus est:

« I. Prendiamo atto, pur con un certo rammarico, che il testo è stato ridotto al minimo, rendendo necessario il ricorso all'*Enchiridion indulgentiarum* anche per le Norme.

Si dovrà quindi fare un richiamo alle altre prescrizioni del detto *Enchiridion*, redigendo *ad hoc* un canone o almeno aggiungendo una nota. Il canone potrebbe essere di questo tenore: *Ad indulgentiarum concessionem et usum quod attinet, servanda sunt insuper cetera praescripta Enchiridii indulgentiarum.*

La nota conterrebbe una prescrizione analoga, con la citazione della fonte: *Quoad ceteras praescriptiones, circa concessionem et usum indulgentiarum, consulatur Enchiridion indulgentiarum, diei 29 iun. 1968: (cf. AAS, 60, 1968, pp. 413-419) ».*

Iuxta sententiam Relatoris sufficeret notam adiungere, sed contradicit unus Consultor quia in Codice notae locum non habebunt, ideoque convenitur ut canon redigatur verbis ab ipsis proponentibus adhibitis et in fine Capitis de Indulgentiis ponatur: *Ad indulgentiarum concessionem et usum quod attinet, servanda sunt insuper cetera praescripta Enchiridii indulgentiarum ».*

* Cf. *Communicationes* 10, 1978, pp. 71-74.

« II. Adottata la regola di ridurre i canoni al minimo, conviene forse omettere anche i due ultimi canoni, riferiti a pag. 74 di *Communicationes*, 10, 1978. Inoltre se il can. 174 non si conserva integralmente, è meglio ometterlo del tutto. Non è il caso di trasferirne, come si propone, il § 1 al can. 164, come § 2 di quest'ultimo. La prescrizione sarebbe incompleta e in qualche modo contraria alle norme nn. 6 e 18 dell'*Enchiridion* ».

Placet propositio et manente suppressione can. 174, supprimitur etiam § 1 illius canonis quae translata erat uti § 2 can. 164, qui ideo deletur, omnibus consentientibus, uno Consultore excepto.

« III. Conviene omettere anche il can. 168 (179 fasciculi typis editi). Infatti non sembra il caso di riferire la facoltà del confessore di commutare l'*opus* e le eventuali *condiciones*, mentre si omette di riferire la facoltà del Vescovo di dispensare dalle *condiciones*.

Inoltre, qui si parlerebbe di *opus* e di *condiciones*, di cui prima non si è fatto cenno, mentre invece l'*Enchiridion indulgentiarum* ne parla più volte prima di ricordare la facoltà del confessore di commutarle.

Qualora il can. 168 non fosse soppresso, osserviamo che tra le due redazioni, sembra preferibile la prima, quella dell'*Enchiridion*, perché distingue meglio l'*opus*, che riguarda qualsiasi indulgenza, dalle *condiciones*, che si riferiscono soltanto alle indulgenze plenarie.

Se si vuole adottare la seconda relazione, occorre ritoccarla in questo modo: ... *ad lucrardam indulgentiam praescripta* ...: *lucrardam indulgentiam*, perché deve concordare con il singolare *opus*; *lucranda*, neutro plurale correlativa di *eadem* che segue ».

Placet omnibus propositio omittendi canonem.

« IV. Se si accetta come § 2 del can. 165 il testo proposto da una Conferenza Episcopale, questo stesso testo, completato, potrebbe bastare *da solo*, senza il § 1, per il can. 165 che sarebbe pertanto così redatto: *Quivis christifidelis potest indulgentias, sive partiales sive plenarias, aut sibi ipsi lucrari, aut defunctis applicare ad modum suffragii* ».

Placet textus propositus et verbum *lucrari*, qui textus substituit duas §§ eiusdem canonis.

APPENDIX

Titulus VIII DE SACRAMENTALIBUS

Relator aliquos de Sacramentalibus paravit canones qui Consultorum examini subiciuntur:

Can. 362 (CIC 1144)

Sacramentalia sunt res aut actiones, quibus, in aliquam Sacramentalium imitationem, Ecclesia utitur ad effectus praesertim spirituales quae eis significantur ex sua impetracione obtainendos (cf. Const. Sacrosanctum Concilium, n. 60).

Placet prout propositus est.

Can. 363 (CIC 1145)

Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex eisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.

Placet uti est.

Can. 364 (CIC 1146)

Exceptis benedictionibus papalibus et aliquibus benedictionibus ad normam Librorum liturgicorum Episcopo reservatis, Sacramentalium minister est quilibet sacerdos vel diaconus, qui a competenti auctoritate non sunt prohibiti; immo eorundem quaedam ad normam eorundem librorum liturgicorum, saltem in specialibus adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis quoque, congruis qualitatibus praeditis, administrari possunt (Const. Sacrosanctum Concilium, n. 79; Instructio de S. Liturgia, 26/9/66, n. 77).

Secretarius Commissionis proponit ut simpliciter in prima parte dicatur: *Legitimus sacramentalium minister est clericus debita potestate instructus et iure non prohibitus, cui adiungitur uti in textu proponitur quaedam Sacramentalia, ad normam librorum liturgicorum ...*

Placet propositio et probatur textus.

Can. 365 (CIC 1147)

§ 1. Consecrationes valide peragere possunt qui charactere episcopalii insigniti sunt necnon presbyteri quibus iure vel apostolico indulto id permittitur.

§ 2. Benedictiones impertire possunt quilibet presbyter et diaconus, iis exceptis quae Romano Pontifici aut Episcopis reservantur.

§ 3. Benedictio reservata quae a presbytero vel diacono detur sine necessaria licentia, illicita quidem est, sed valida, nisi in reservatione Sedes Apostolica aliud expresserit.

§ 4. Christifideles laici illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse iure permittuntur.

Aliqua movetur quaestio utrum expediat de validitate et liceitate sermonem instituere. Placet propositio.

Omnibus perpensis, Coetus aestimat melius esse rem ad S. Congregationem pro Sacramentis et Cultu Divino deferre ad animadversiones postulandas circa textum a Relatore propositum.¹

¹ Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino has fecit animadversiones:

Can. 362: In questo canone che ripete sostanzialmente il can. 1144 CIC, è apprezzabile l'aggiunta *qui eis significantur*; ma crediamo occorra calcare più fedelmente il dettato della *Sacrosanctum Concilium*, n. 60.

In luogo del *Sacramentalia sunt res aut actiones* si ritiene preferibile la lezione: *Sacramentalia sunt signa sacra*, come si esprime appunto il citato n. 60: ne risulterebbero subito affermati due concetti base della prospettiva sacramentale: il *genus signi* e la *sacralità*.

La formulazione dunque dovrebbe essere la seguente: *Sacramentalia sunt signa sacra, quibus, in aliquam sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae imprecatio obtinentur.*

Can. 364: Sta bene, *uti iacet*, ma sembra opportuno aggiungere alcuni elementi del vecchio can. 1148, soppresso nel nuovo schema, mettendo un nuovo paragrafo. § 2: *In Sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate serventur ritus et formulae ab Ecclesia probata et quidem ad validitatem.*

Can. 365: Sembra che la norma data dalla Costituzione, come principio da attuare, non debba essere riprodotta dal canone nella sua formulazione generica.

Il Concilio ha detto: *Provideatur ut ... cf. Sacrosanctum Concilium, n. 79*) e sono i Libri Liturgici e la legislazione canonica a dover dare qualche indicazione concreta in proposito.

Ora è stato opportunamente introdotto l'inciso *Ad normam librorum liturgicorum*, ed è già qualcosa; però, allo scopo di togliere indeterminatezza alla norma, occorre sopprimere la clausola *saltem in specialibus adiunctis*, che qui non dice niente dal momento che la cosa viene lasciata al giudizio dell'Ordinario, mentre nella Costituzione aveva un significato orientativo per la riforma dei libri liturgici e la revisione del Codice.

Can. 366: Si proporrebbe di chiarire il testo più o meno così: *Sacramentalia quaedam sollemniora, uti sunt consecratio virginum, dedicatio ecclesiae vel altaris et alia huiusmodi ...* Questo perché il termine *Consecrationes* appare troppo *ex abrupto* e può risultare ambiguo.

Non sembra, inoltre, opportuno equiparare la facoltà di benedire dei diaconi con quella che è propria dei sacerdoti. Non bisogna dimenticare la risposta data dalla Pontificia Commissione per l'Interpretazione dei Decreti del Conc. Vat. II, approvata il 13 novembre 1974 dal Santo Padre.

Le ragioni portate da quella Commissione (cf. *Notitiae*, 11, 1975, pp. 36-39) conser-

Textus reliquorum canonum, praeter praecedentes, hic est:

Can. 366 (CIC 1149)

Benedictiones, imprimis impertienda catholicis, dari possunt catechumenis quoque, immo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam non catholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum eo, corporis sanitatem.

Can. 367 (CIC 1150)

Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractentur nec ad usum profanum vel non proprium adhibeantur, etiamsi in dominio privatorum sint.

Can. 368 (CIC 1151)

§ 1. Nemo, potestate exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legitime potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam obtinuerit.

§ 2. Haec licentia ab Ordinario concedatur tantummodo sacerdoti pietate, prudentia ac vitae integritate praedito. (M. DE NICOLÒ, Actuarius).

vano ancora il loro valore. Si deve perciò far notare la differenza, che c'è su questo argomento, fra il diacono ed il sacerdote. Per es.:

§ 2: Benedictiones, exceptis iis quae Romano Pontifici aut Episcopis reservantur, impetrare potest quilibet presbyter.

§ 3: Diaconi illas tantum benedictiones impetrare possunt quae ipsis expresse a iure permittuntur.

Si può eliminare il § 3 dello schema, perché sembra sufficiente quello che è stato detto nel Can. 365.

Can. 367: Piace la forma del can. 1149 CIC, eliminando però *dari quoque possunt catechumenis* e la ragione si trova nel n. 14 della *Lumen Gentium*.

Can. 368: Questo è un caso concreto in cui la terminologia usata nella legge non è aderente ad una situazione reale. Non si vede bene la differenza tra benedizione costitutiva e non-costitutiva; inoltre tutte le cose benedette, perfino i commestibili, dovrebbero essere trattati con rispetto.

Si proponebbe, perciò la seguente formulazione: *Res sacrae quae dedicatione vel benedictione ad divinum cultum destinatae sunt* (cf. can. 1497, § 2, CIC) ... ».

Can. 369: La normativa qui riportata sugli esorcismi dovrebbe poggiare su un chiaro richiamo al senso teologico dell'esorcismo stesso, in modo che sia posta in risalto, accanto all'*imprecatio diaboli*, anche l'*invocatio Spiritus Sancti*.

Si pensa, inoltre, di togliere *potestate exorcizandi praeditus* che sembra riferirsi al vecchio Ordine minore dell'Esorcistato.

N.B. Sembra opportuno aggiungere un *Can. 370* che riprenda il *Can. 1153*, perché si tratta di altro tipo di esorcismo.

